



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



47  
A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XLVII,

De  
**CONIUNCTIS, SEU**  
SECUNDARIIS SOCIETA-  
TIBUS,

Quam,  
Gratiâ aspirante cœlesti,  
SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILEMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
Liberalis exercitii gratiâ defendendam suscipiet,

**JOHANNES ZAPHEIUS**  
Curia-Variscus,

In celeberrimâ VVittebergensi Academia,  
ad diem 21. Sept. horis locog<sub>3</sub> consuetis.  
Stobæus serm. 4.

*Ea domus optimè constituta est, cui superfluum nihil abundat,  
& necessarium nihil deest.*

WITTEBERGÆ,  
Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. XI.



## P R Æ L O Q U I U M.

**P**latonis, illius non intelligendi solum, sed dicendi etiam graviss. autoris ac magistri. & quem propter præclarissimum quoddam dicendi genus, propterque nonnulla quæ veraciter sensit, singulariter amavit Augustin. lib. 22. de Civ. Dei cap. 28; celebrata sententia hæc est: Nisi Philosophi (intellige doctos & sapientes homines, juxta Cicer. in lib. 1. ad Qu. Fr. Epist. 1. seu solidioris eruditionis cupitores, ut Medicos dixit Philosophos, Hippocr. in lib. de Eleg.) in civitatibus summam potestatem, auctoritatemque obtineant, vel hi, qui nunc reges & optimates dicuntur & rerum summam obtinent, germanâ & cumulata quadam ratione Philosophentur, ac in idem concurrant civitatis illa potentia, & Philosophia. Et nulla erit malorum in civitatibus quies, neque etiam generi humano unquam, meâ quidem sententia, lib. 5. de Rep. f. 466. Quam perspicue veram sententiam, nunquam fere non in ore habuisse M. Antoninum, ut Imperatorem, sic Philosophum Opt. Max. indicat Capitolin in vita ipsi. f. 107. Et quam ingenio & facundia oppido præstans poeta, Prudentius, hæc complexus est scite versibus. Nimirum pulchre quidam doctissimus, esset. Publica res, inquit, tunc fortunata satis. si vel reges saperent, vel regnarent sapientes. Et. lib. 1. in Symmach. in init. fere. Atque hinc constare unicuique, qui paulum consideratus modò, ex facili quit, audiendam hinc esse minime parvam Aristophanem sapiens veteris comediæ poetam. Cic. lib. 1. de LL, qui Athenienses false perstringens, in Equit. Att. 1, sc. 2, affirmat, nihil ad doctos pertinere Reip. curam, nihil ad probos, sed ad impuratos & rudes: Sed enim effectum rei hujus paulo post idem subnectit, dum insit, Ταχέως, καὶ χροδὲν ὁμοῦ τὰ πρῶτα. -- Ἄπαντα. Et. Partim & illos, qui seipos, suamque assentantur naturam, & ab eis sibi prudentiam civilem, quæ salutem Reip. unice accurat, & ab ejus ignoratione, velut ab errorum omnium fonte, omnia quæ in Rep. gerenda peccantur derivantur, Bodin in præf. libr. de Rep. datam insitamque opinantur, de quibus eleganter Æn. Sylvius in hist. Bohem. c. 6 & Tacitus in lib. 1. Hist. f. 550: Illa siquidem non uno se habet, & eodem modò verum plura sæ perfectionis adjumenta desiderat, dum prima ejus initia obtineantur munere Dei & nature, obtentis his soliditatem doctrina, soliditati perfectionem addat usus & experientia, Ficin in f. l. b. s. de LL. Quare cum ita hæc habeant se, & cum omnibus bonis maxime expetat salutem esse Rempublicam, ut recte & condigne Cicer. or. 13. Philip: Ideò, ut aliquantillum & hac in re Nos nostrum fecisse, veramque & non simulatam Philosophiam (quam qui profitentur, commode à Cicer. lib. 3. de Orat. Politici Philosophi dicuntur) tractasse videamur, Agere, Politicis exercitationibus ulterius Nos experiamur, jam nim. de secundarijs societatibus stricte quidem & cursim; ac cogitare hæc consideraturi.

### T H E S I S I.

**S**ecundaria seu conjuncta societates illæ vocitantur, quæ ex primis societatibus, de quibus in antegressâ disquisitione dictum & actum fuit, consurgunt, pluresque sui ad constitutionem homines flagitant: Harum numerò itidem tres sunt, domus, pagus, & civitas; Quæ non multitudine & paucitate tantum differunt, uti Platonis erat opinio, sed potè ut totum & partes, dum civitas est totum, domus & pagus sunt partes, ex quibus illa constituitur.

A A A 2.

2. Indeq.

II. Indeq<sup>3</sup> est colligere in proclivi, Civitatem & priorem domo esse, naturā nimirum, dignitate atq<sup>3</sup> praestantiā, dum omne totum naturae ordine prius sit suis partibus, quippe quae per sua officia, quae in toto habent, unice considerentur, definianturq<sup>3</sup>; At extra controversiae aleam positum, civitatem esse totum: Et posteriorem etiam, quoad ordinem generationis, cum prius fiat domus, quā civitas, lib. I. Polit. c. 2.

III. Est verò Domus societas hominum naturalis, ad quotidianum viā usum instituta, Ibid. c. 2. Dicitur societas seu communio, quia domestici, οἰκονομοί, ἐπιπέδοι, ἐπιόχαι πνοι, per multa invicem habent communia, ut locum quem inhabitant, tectum, sub quo cubant, focum, ignem, mensam, fontem, &c. Cicero lib. I. offic.

IV. Et haec οἰκονομία in ipso quasi utero naturae concepta est, ab illa velut parta, in eju<sup>3</sup> etiam gremio & amplexu enurrit, & quoad materiam, & quoad formam, & quoad finem: Non quidem ob totius alicujus civitatis, regni, nationis, vè commune & perpetuum bonum, ac propter unius aut alterius solum hominis, & hunc temporarium saltem, usum, lib. 8. Ethic. c. 9. & lib. I. c. 2.

V. Pagus autem est prima communio (respectu nimirum civitatis) ex pluribus domibus non quotidiani solum usus gratia constituta, lib. I. Polit. c. 2: Quoniam non proposita habet commodatantum, fructumq<sup>3</sup> unius diei, id quod in domo spectatur, sed plurium; In pago namq<sup>3</sup> sunt opifices variarum artium, etsi non tot, nec ita forsitan periti, ut in urbibus.

VI. Nomen verò hoc suum habet ἀπὸ τῶν πηγῶν, seu fontibus, ita ut in summa significatione sua pagus notet illum locum, in quo homines ob commoditatem alicujus fontis, ex diversis agrorum partibus, praedijs & aedificijs, convenire: Pōt tamen adplicata est ad omnem societatem politicam, ex duobus vel pluribus vicis, in quibus multa sunt aedificia conjuncta, sine communi munitione aliquā, constantem, Tholof. lib. 2. de Rep. c. 1.

VII. Demum civitas (quasi dicas civium unitas, dum in ea cives quasi in unum coeant) qua sumitur materialiter & strictè, sicq<sup>3</sup> à Republ. distinguitur, est perfecta societas secundum naturam, ex pluribus constans pagis, omnibus rebus ad vitam instructa necessarijs, non vivendi solum, sed bene etiam vivendi causa constituta, lib. I. Polit. c. 2. & lib. 3. c. 6.

VIII. Duplicem namq<sup>3</sup> causam finalem obtinet, quarum una generalis est, ut nimirum homines per societatem hanc ea, quae ad vitam exigendam requisita necessaria sunt, mutuo sibi possint communicare, ita, ut quod quis per se non

non habet, id ab alio accipere possit: Altera magis specialis, ut scilicet honestè, jucundè, & beatè vitam agant.

**IX.** Hinc, verè & rectè, civis definiri quit, quod sit socius, qui cum sua familia in societate familiarum benè vivere intendit: Et si enim Aristoteles, ut veni illum esse dicat, lib. 3. Polit. c. 2. qui magistratus, suffragiorum, consilijq; publici particeps; Tamen loquitur ille unice de cive Reipubl. potestati nondum subiecto, ubi sanè ut omnes cives sunt aequales, ita aequale jus habere debent in rebus communibus.

**X.** Estq; civis alius Originarius, qui natiuitate, sive originis ratione, jus civitatis (quod est potestas utendi & fruendi commodis, privilegijs ac libertatibus civitatis) obtinende consecutus est: Alius Adoptatus, qui aliunde ad civitatem accessit, & suffragio consensuq; civium reliquorum civitatis jus accepit.

**XI.** Sic civis alius est Urbanus, qui in urbe; Alius suburbanus, qui in suburbio domicilium, tributum vel censum, & jus suffragiorum habet; Alius Colonus, qui, Gellij verbis in lib. 16. N. A. c. 13. ex civitate quasi propagatus est, & jura institutaq; omnia populi Rom. non sui arbitrij, observat; Alius demum Municeps, qui in urbem receptus, suis legibus & magistratibus utitur.

**XII.** Sic alius est Nobilis, & hic vel sua & majorum, vel sua tantum, vel majorum solum, virtute, singulariq; privilegio, seu legis beneficio, seu concessione principis, seu consuetudinis vigore, gaudet, quod mitigari illi poena solet, nisi atrocissimum fuerit crimen: Alius litteratus, ut Theologi, Icti, Medici, Philosophi, Poetae, Advocati &c.

**XIII.** Alius deniq; Plebejus, qui vel exercet mercaturam, cujus in Republ. usus insignis est, se satiat a quastu sit, vel contenta potius, Cic. lib. 1. off. vel in civitate victum procurat, ut Pistorum, Lanij, Agricola, Venatores, Piscatores, &c. Vel amictui prospicit, ut Sartores, Textores, Pannifices, Sutores, &c. Vel valetudini & medicinae, ut Pharmocopai, Chirurghi, &c. Vel circa aedificia occupatur, &c.

**XIV.** Porro ob affinitatem & cognationem de urbe hic etiam quid monendum, quae quamvis non rarenter pro ipsa usurpetur Civitate, interim tamen haec interest omnino differentia: Illa enim nil aliud est, quam locus amplus, communibus muris murimentis, & ornamentis publicis exornatus; Haec vero ipsa est multitudo seu coetus hominum, qui etiam sine urbe esse potest, muris, vel saltem ligneis includat.

**XV.** Nomen habet ab urus sive urbo, id est, aratro sive aratri curvatura:

In condendis siquidem urbibus olim aratro utebantur, quo urbis futura magnitudinem, proportionem, situmque, muro cingendum, desinebant, Varro de ling. Lat. lib. 4. f. m. 40. Atque haec si parva fuerit, Oppidum appellatur, ab opere ferenda & sustinenda, idem ibid. f. 39.

XVI. Habet autem urbs partes tum privatas, tum publicas: Illae sunt, quarum possessio & usus privatorum est hominum, ut res se habet cum Domo, & quae ad hanc pertinent, ac de qua Politici, non imi subsej, sed classis prima haec tradunt monitiones: 1. Quisq; in Republ. propriam habeat domum, legitima ratione acquisitam, ubi larem, & fortunarum sedem suarum faciat: Sic enim Reip. multa obvenient commoda, eo quod unusquisq; rem suam maxime sibi curae esse patiat, lib. 2. Polit. c. 3.

XVII. 2. Domus non superbe nimis, nec nimis etiam sordide est aedificanda, sed enina hic etiam aurea mediocritas unice spectanda, maxime cum non domo dominus, sed domino domus honestanda sit, Cic. lib. 2. de Div. 3. Non cum damno aut iniuria alterius domus aliqua exstruenda est. 4. Nec etiam inordinatè, verum certa cum sumptibus, Vitru. lib. 6. c. 2.

XVIII. 5. Exstructa, in urbis nim parte saluberrima, sarta-tecta est habenda, eaq; quae vetustate collapsa, reparanda. 6. Commendationem illa mereatur maximam, cui vicinitas contigit retinens veterum illi officij morem, non insuata malevolentia, non adjecta mendacijs, non suta, non fallax, non erudit a artificio simulationis vel suburbanis, vel etiam urbano, Cic. pro Planc. &c.

XIX. Publicae urbis partes sunt, quarum possessio & usus universis est civibus communis, & sunt tum aedificia, tum spatia publica: Illorum sunt alia ad subsidium, alia ad conventus publicos: Ad subsidium sunt Moenia seu muri, qui in urbe sancti sunt, &c. lib. 7. Polit. c. 11. Armamentaria, Noscomia, Diversoria, Granaria, &c. Tholoz. lib. 2. de Rep. c. 2. & seq.

XX. Ad publicos conventus pertinent, Tempia, ad publicam pietatis exercitationem destinata: Scholae, congressibus docentium juventutem dicata; Curia: disceptandis civium controversijs condita, &c. Huius quoque census sunt modo, balnea, quae pro sexus diversitate maxime distincta esse debent, Theatra, Domus publicorum conviviorum, cella vinaria, cerevisiaria, &c. lib. 7. Polit. c. 12.

XXI. Publica spatia sunt, quae ad usus publicos vacua aedificijs relinquuntur, ut sunt Plateae, quae in urbe & numero & latitudine sufficientes esse debent, Forum, civium conventui frequentiori destinatum, Pomoerium, spatium agri,



um agri, quod intra muros, & aedificia extra muros, inaratum est, cuius finibus Suburbium continetur, Coemiterium, locus sepulturae civium, &c.

XXII. Et sic partes se habent ipsius urbis: Haec verò commodum dividitur in Metropolim seu Primariam, ad quam aliae respiciunt inferiores, veluti ad matrem; atq; hanc, cum ad dignitatem comparandam, tum ad conservandam securitatem, mœnibus, munitiōibus, & propugnaculis munitam, ornatamq; esse, utile per omnia est: Et in Metropoli subjectam, quae ad illius exemplum sese conformat, sive sit major, sive minor.

XXIII. Cœterum quia & Collegium legitima quaedam civitatis pars est, idè de eo etiam hic aliquid merito dicendum: Est verò Collegium (à colligendo sic dictum, Varro lib. 4. de Lat. ling. f. 64.) nihil aliud, quam vera & legitima trium, pluriumvè personarum ejusdem conditionis, professionis & ordinis consociatio, ut ex pluribus personis, velut una persona, & unum corpus fiat, Bodin lib. 3. de Republ. c. 7.

XXIV. Causa ejus efficiens sunt leges, senatus consulta, aut principales constitutiones: Privatus enim potestatem minimè omnium habet constituendū collegium, sed illud jussu scituq; superioris inire oportet, cui vel ipse praesit auctoritate suā, vel per personam aliquam à seipso delegatam; atq; hinc in aprico est, quod colluvies latronum, praedonum, &c. Collegium dici nullā ratione possit.

XXV. Causam autem materialem exhibent personae ejusdem conditionis, quae nomine proprio Collegae nominantur: Et horum, ratione constitutionis, tres ad minimum requiruntur, licet per unum etiam Collegium conservari ac retineri possit; Superior verò seu princeps ac praefectus collegij dicitur Primicerius, reliqui ordine secundocerij, tertiocerij, &c.

XXVI. Ejusdem conditionis esse dicuntur, non quidem quòd omnes imperio, potestate atq; ordine pares esse debeant: Verum in solidum intelligendum hoc est de re tractanda, quòd omnes ejusdem artis professores esse debeant, vel idem habere vitae genus; Sic etiam praetores consulum collegae sunt, Cic. lib. 9. ad Att. ep. 11. non quòd pari sint imperio, sed quòd iisdem auspicijs creentur.

XXVII. Forma de hinc Collegiorum consistit in legitima communicatione, nim. 1. τῶν νόμων, quibus Collegae vel obedire coguntur, vel juxta illas puniuntur; 2. τῶν πραγμάτων, dum communes habent res, arcam, actorem, &c. 3. τῶν ἐνεργειῶν, dum pactionem, quam velint, inire possint, modò haec non sit contra Reip. salutem. 4. τῶν ψυχῶν, reciprocrā scil. inter collegas benevolentia, cum singulari concordia conjuncta.

urbia succura ma-  
iebant, Varro de  
pellitur, ab o-  
is: Illa sunt, qua-  
et cum Domo, &  
sed classis prima  
eat domum, legi-  
tarum faciat: Sit  
n suam maximè  
è est aedificanda,  
re cum non domo  
. 3. Non cum da-  
dec etiam inordi-  
rta-recta est ha-  
lationem illa me-  
fficij morem, non  
on fallax, non e-  
Cic. pro Plant.  
niversis est civi-  
um sunt alia ad  
nia seu muri, qui  
osocomia, Diyer-  
m pietatis exer-  
utem dicata; Cu-  
q; census suo sunt  
debent, Theatra,  
&c. lib. 7. Polit.  
a aedificijs relin-  
ne sufficientes esse  
Pomoerium spati-  
um agri,

XXVIII. *Vsus post seu finis Collegiorum haeret, 1. in Loci consideratione, si-  
quidem in certo loco Collegia convenire debent; 2. In Temporis ratione: 3. In  
rerum tractandarum observatione, qualiter res se habet cum honestis & licitis:  
4. In potestatis amplitudine, dum primaria inter collegas persona, singulos co-  
ercendi potestatem habet, Bodin. lib. 3. c. 7.*

XXIX. *Ultimo collegia sunt vel sacra, vel profana: Illa pietatis & divi-  
ni cultus gratia instituta sunt: In his alia quaevis humana & Politica tractan-  
tur, & vel habent potestatem, vel non habent, &c. Bodin Ibid. sed satis jam  
esto: Cetera enim quae dici possent de abusu collegiorum, reformatione & de-  
structione, illa late pertractat Tholoz. lib. 13. de Rep. c. 3. quem vidisse, operae  
est.*

### ADJECTANA.

1. Aequalitas bonorum aut honorum minimè introducenda  
est. 2. Non statim quo major atque populosior est civitas quae pi-  
am, eò est felicior. 3. Nemo debet duarum civitatum esse civis. 4.  
Nec licet cuiquam patriam suam ejurare. 5. Judæi certo cum re-  
spectu in civitate tolerari possunt. 6. Asyla autem hodie minimè  
ferenda. 7. Ad Academiarum constitutiones pontificis confirma-  
tione opus non est. 8. Non est de essentia Collegiorum, ut commu-  
nem habeant victum, ærarium, &c. 9. Mortuis personis non  
mutatur collegium. 10. Interim autoritate superioris  
ob delictum destructum, privilegia  
sua amittit.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.  
 I S P U T A T I O  
 T A T I O N U M P H I L O.  
 P H I C A R U M X L V I I ,  
 De  
 U N C T I S , S E U  
 D A R I I S S O C I E T A -  
 T I B U S ,

Quam,  
*Gratiâ aspirante cœlesti,*  
 S U B P R Æ S I D I O  
 B I Æ T I L E M A N I

o. Colleg. Philos. Adjuncti,  
*exercitii gratiâ defendendam suscipiet,*  
 J O H A N N E S Z A P H F I U S  
 Curia-Variscus,  
*inâ VVittebergensi Academia,*  
 die 21. Sept. horis locog<sub>3</sub> consuetis.  
 Stobæus serm. 4.

*constituta est, cui superfluum nihil abundat,  
 et necessarium nihil deest.*

WITTEBERGÆ,  
 in Gormanni, ANNO M. DC. XI.



Farbkarte #13

B.I.G.